



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,
Bibliothecis, et aliunde**

Sweerts, Pierre François

Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.

Patavina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

maximā apud Alfonsum Ferrariæ Ducem auctori-
tate, & Francisco eius filio, item Iurisconsulto,
tanta in foro nominis celebritate, vt litigatores
acrius de eo sibi patrono cooptando, quā de
caussa ipsa disceptarent. Vixit annos LVI. Gerar-
dus & Opizzo fratres, Auo & Patri monumentum
hoc, quaecumque est faciendum curauerunt; ma-
gnificentius curaturi, si eis suam ipsorum pieta-
tem magis, quā paternum testamentum exequi
licuisset. Anno M. D. LVII. XIII. Cal. Apr.

AENEAE VICO

Nobili Parmensi, C. R. Alfonsi Ducis II. Ferrar-
iæ antiquario, antiquaria in antiquario versanti,
cumque ipsis versis ad humum verso tandemque
collapso, & repentino obitu suffocato, imaginibus
tamen penē spirantibus, scriptisque suis immor-
talibus subleuato, & vitam perpetuam respiranti
CATHARINA vxor moestissima posuit, Anno
M. D. LXIII. Vixit ann. XLIIII.

FRATRIS AVGVSTINI
RICHINI.

*Flens veni in terras, & flens discedo, fuitque
Dum vixi, fletus, vita, dolor, gemitus.*

PATAVINA.

IN PATAVIVM IVL. CAES.
SCALIGER.

Hic antiqua Delum Domus Ilium, & inelyta
bello
Robora, Dardanijs exposuere laxes.

Deco

Decepti patrias, non victi, amisimus oras.

Perpetuus, res est Græca, valere dolis.

Qui vicere, suos ided amisere penates:

Ast noua sunt profugis regna parata viris.

Arma decent Teucros, vastos sapientia, Græcos:

Victis Euganeis pectus vtrumque dedi:

Regna, vides, Veneto Phrygijs maiora ruinis,

Atticaque à Patauo pectore terra capit.

LVCIAE SOLIS.

Extinctum est Pataui lumen, nam Lucia Solis

Lux ipsa hinc lucem sustulit ad superos:

Inter & astra micat Veneris Comes, amula Solis:

Non erat illa diu his digna manere locis.

LAZARVS BONAMICVS F.

In eandem Hieronymus Panicvs.

Solis honor, lucisque decus, benedictaque verè

Occidit; heu tristis Cyprus Amorque dolent!

Dant gemitum Charites cineri, pia thura, Cupido;

Ex arcu & pharetra, constituitque Pyram,

Impositique rogis, vna exarsere lepores,

Ægra Venus cineres texit, & ossa cado.

Quisquis amat, largis conspergat stertibus vnam,

Quaregitur, pulcri quicquid in orbe fuit.

D. M. SACR.

*FRANCISCO ZABARELIAE Florentie
Archiepiscopo, viro optimo, vrbi atque orbi gra-
tissimo, diuini humanique Iuris interpreti præ-
stantissimo: In Cardinalium Collegium, ob lum-
inam sapientiam, cooptato: ac eorundem animis*

Pontifici propè Max. Ioan. XXIII. eius senatu
 abdicato, ante Martinum V. ob singularem probi-
 tatem, in Constantien. Concilio destinato: Ioan-
 nes Iacobi viri clarissimi filius id monumenti po-
 nendum curauit. Vixit ann. 78. Obijt Constan-
 tiaz 1417.

IACOBI DONDI.

*Ortus eram Patavi IACOBI S, terra quæ rependo,
 Quod dedit, & calidos cineres breuis occulit urna;
 Viliis officio patria, sat cognitus orbi.
 Ars Medicina mihi, calumquæ, & sydera nosse,
 Quò nunc corporeo resolutus carcere pergo.
 Vtraque nempe meis manet ars ornata libellis,
 Quin procul excelsa monitus de vertice turris,
 Tempus, & instabiles numero quod colligis horas,
 Inuentum cognosce meum, gratissime lector,
 Et pacem mihi, vel veniam tacitusquæ precare.*

MERCATELLORVM FRA-
TRVM.

Siste gradum, viator, atque hæc pauca, si libet,
 lego.

AND. BARTHOL. NICOLAUS, fratres
 MERCATELLI hic siti sumus.

Posuere superstites HIER. BERNARD. nepotes,
 De nobis fortassis alij alia: nos nihil aliud.

IN DIVI ANTONII.

SIMONI ARDEO, Minoritanæ Religio-
 nis splendori: qui dum ex Patavinis Athenis om-
 nes terras illustrasset, Philosophorum & Chri-
 stiano-

Saniorum Theologiam summa cum laude obtinuit, invidia superata, professus, viam tandem vniuersæ carnis ingressus, dormiuit in Domino. F. Bernardinus alumnus rerum & cognominis hæres non ingratus Pos. Obijt anno M.D. XXXVI. ætat. suæ LXV. III. Cal. Maij.

A D PETRI BEMBI IMAGINEM.

PETRI BEMBI Card. Imaginem Hieronymi Quirinus Ismerij F. in publico ponendam curauit: vt, cuius ingenij monumenta æterna sint, eius corporis quoque memoria ne à posteris desideretur. Vixit annos 76. M. 7. D. 29. Obijt 15. Calend. Februarij, anno 1547.

IN LAPIDE LYDIO.

Hanc ALEXANDRI CONTARENI, Venetæ classis, cum summa potestate fortissimi Legati, Diui Marci Procuratoris, quem nec venti in periculosis Reipublic. temporibus retardarunt vnquam, & Hariadenus Barbarossa Othomanicæ classis Imperator potentiss. sæpe timuit: tam admirabili artificio ductam effigiem, magis inuicem animi, præclaramque totius maritimæ disciplinæ simulacrum, vt posteritas haberet, quod instar immortalitatis ac gloriæ vnice coleret, ne quicquam Patavino splendori deesset: Petrus & Randolphus frat. opt. P. Vixit an. LXVII. D. XII. Obijt Cal. April. M. D. LIII.

GATTAMELATÆ.

Dux bello insignis, Dux & victricibus armis
Inclutus, atque animis GATTAMELATÆ sui.

*Narnia me genuit, media de gente, meoque
Imperio, Venetum sceptrum superba tuli.
Munere me digno, & statua decoravit equestri
Ordo senatorum, nostraque pura fides.*

CORRADI SALAE.

*SALAE fuit genti cognomen, sal neque menti
Defuit: heu, fato minuuntur cuncta parato!
Corda duo gessi CORRADVS, inertia pressi.
Me fidei meritum lustravit gloria legum:
Nec solus persto hic, DANIEL mihi filius esto
Conclusus, totidem fultus virtutibus idem.*

ALIVD.

*NICOLAUS CATARVS vir optimus, in
amicis officiosissimus, rei bellicae ita peritus, ut
exemplum desit, & in Republica Venetam adeo
fidelis, ut parem fortassis aliquem, superiorem ve-
ro habuerit neminem. Is Veneto Senatui, sub cuius
Imperio per XL. annos militavit, adeo carus fuit,
ut nec pace, nec bello ab expeditione unquam va-
cuus fuerit: & ubi maius periculum instaret, ibi
fuit praesidio: Cum summis militaribus honori-
bus functus esset, obiit à Christi natali die M. D.
XL. aetatis autem suae LXXVII.*

BRIXIAE OPPIDO.

*Huius cineres, & ossa, hunc in locum ab Anto-
nio filio Iureconsulto relata.*

IBIDEM.

*ROLANDO, & AYCARDAE indolis optima,
ROLANDINVS PLACIOLA filius sarcophaga-
rum.*

T

Præter

*Præter amare Deum, cum cetera deleat atas:
Hic sere, quod plena post modò falce metat.*

ANTONIO TVBETAE

Paduano, Athenien. Antistiti: qui publicè Me-
taphysica annos II. & XL. professus est, D. An-
tonij Prouinciæ annos super XX. præfuit, plura-
que edidit anno ætatis altero & LXXX. natura
cessit, hospitium ad hoc nunquam reuerfurus. M.
D. XVIII.

*Orphea fama refert pisces, volucresque, feraque,
Infernumque canem conciliasse lyra.*

*Prisca fides iaceat. raptus super æthera præsul
Id tulit eloquio, quod tulit ille lyra.*

*Expulit hic sophia sordes, tenebrasque fugauit:
Extant ingenij plurima scripta sui.*

*Vnica seu Phoenix, vitam sibi morte nouauit.
Dic (rogo) perpetuum, qui legis ista, vale.*

RAPHAELIS FVLGOSI.

FVLGOSVS RAPHAEL virtutum iussu
viroque

*Iure stupor, tantus qui fama, quantus & orbis,
Scriptis morte vacat, tam paruo clauditur antro.*

EIDEM.

*Emerita prædigna gerens cognomina laudis
Fulgosus Raphael conditur hoc tumulo.*

*Consuluit nemo melius, fulsitque docendo
Casareas Leges, Iuraque Pontificum.*

*Claruit eloquio, quem blanda Placentia forma,
Et genere insignem, mente piūque dedit.*

Cuius anima in pace quiescat.

ALVA

ALVATORVM MONVMENTVM:

Amice, qui istac transis, etsi properas, lapis hic te rogat, vt paulisper inhæreas, & hæc scripta legas. Hac in Basilica Beati Ioan. Baptistæ sunt Iacobi Aluarotti insta ossa, qui dum vixit suo studio & doctrina post susceptas doctrinales infulas, commentarios vtiles, cum Repertorio, in Ius Feudale formauit, eosque venerandæ vniuersitati Iuristarum donauit. Volui vt ista non ignores, & pro anima ipsius ores.

Ø. 18. Iulij M. CCCC. LIII.

D. O. M.

ERASMO A KRETCHOVV, Polono Palitini-
cæ Brzelten. Castellano Gnesnen. Pisdren. &c. Qui
ann. ætatis suæ quinquag. obiit Patavij, die Maij
XVI. M. D. LIX. Amici P.P.

Hic te Cretcoui mors & tua fata manebant;
Cum terras omnes, & cum maria omnia circum
Lustrares, nullo defessus membra labore.
Te rapidus Ganges, gelidaque Borysthenis vnda,
Te Tagus & Rhenus, te ripa binominis Istri,
Et septemgeminæ nouerunt ostia Nili.
Nunc concessisti magnum visurus Olympum,
Æthericæque domos, vbi Dÿs immistus inanes
Et curas, & spes hominum, lamentaque rides.

Et hoc de consensu nobilium de Lan-
zarotis, & ex eorum liberalitate:

IACOBO ROSEO

Theologo Minoritæ, patria Dandaco, natio-
ne Siculo, animi candore, Christianæ religio-
nis stu-

T z

nis stu-

nis studio, morum integritate, doctrina, prudentia, & charitate insigni, qui varijs laboribus, ærumnis, & morbis in Concilio Tridentino confectus, hîc tandem, quod semper optauerat, obdormiuit in Domino. Cornelius Mussus Placentinus, Episcopus Bitontinus, illi vni proximè & secundum Deum, virtutes, honores, fortunas, omniâque denique accepta referens, tanquam patri de se optimè merito, perpetuum sanctissimæ educationis monumentum posuit.

*Mortali optasset tecum Cornelius vnâ
 Carcere ad ætherias Rosa redire domos:
 Non licuit. quando ergo tibi summa omnia debet,
 Formasti enixu quem pater ipse pio.
 Cùm nunquam posset meritas tibi reddere grates,
 Virtutis tanta tempus in omne memor:
 Hunc tumulū extruxit, morientem fleuit, acerbum
 Vulnus adhuc animo nocte dieque gerit.
 Vixit annos LXXV. M. X. Obijt anno Domini
 M.D. XLVII. Calend. Itinij.*

IBIDEM.

HENRICO A CRAM, Germano, Saxoni, ex nobili familia, summæ pietatis, raræque modestiæ adolescenti continentissimo, ingenio humano erga omnes, & præcipuè pauperes liberali, optimarum artium cognitione, & Iuris Civilis scientia ita instructo, vt suis magno decori esset, Reipublic. ornamento maximo futurus. Postquam absoluto penè studiorum cursu, in ipso redire ad suos, acerbissima febri oppressus, animam Deo, corpus terræ, amicis summo sui desiderio relicto reddidisset; Ascanius frater piencissimus, cum

cum sorore moestissima posuere. Obijt anno M.
D. XLV. Octob. XXXIX. Vixit annos XX. Pro-
curabant Bartholdus à Mandeslo, Conr. Filius, &
Nzuius.

Spes fallaces, cura vanique labores!

Omnia mors abolet, anxia vita nihil.

Disce mori, nec te ludat spes vana iuuenta.

Nam nescis statuam quem tibi fata diem.

IOANNIS DRENCVVARDO.

Quis hic, viator, conditus iaceat, rogas?

Est IANVS, è Drencvvardiorum familia

Natus Batavia nobili, in quem cum parens

Natura rerum cunctas animi & corporis

Dotes benignè contulisset, inuida

Mors, verita, ne immortalitate eum quoque

Vivum bearet, gloria hæc, ait, mihi

Propria dicabitur: neque mora, manum inijcit,

Primoque in cui flore præceptum, vbi pia

Anima Deo fruuntur, in superùm plagas,

Sedesque transtulit beatas ætheris.

Vixit annos XXV. Obijt M. D. LI.

Idibus Augusti.

ERASMO DELPHIO.

Belgæ, Antuerpiensi, summæ virtutis & no-
bilitatis viro, qui, procul à patriâ, magno cum
dolore omnium, ex deplorata valetudinis in-
firmitate extinctus est, amici moesti B. M. po-
suit.

Τῶδε τὰς πατρίδας μέγα φῶς ἀνακείτω Ερασμός
 Δελφίῳ, ὃς μνηστῆ ἐξοχῶ ἦν ἀρετῇ.
 Οὐδὲ τὴν παντὸς λίαν εὐσέβειαν φίλοι ἄνδρες
 Θάμνασαν, ἀλλ' αὐτῆς ἄλγεα βίβη βασιλῆα.
 Τῶδ' ἐπὶ κῆρ γῆρας συγερὸν ῥα φθόνησε μελαίη
 Αὐτὰρ ἐπὶ οὐρανίῳ νῦν ἀνέβησε θεῶς.
 Οἷσις εἶ, ὃς σεμνὸν ζένε τῶτ' ἐπὶ σῆμα παρέλθεις,
 Ησυχίῳ ψυχῇ εὐχεο πολλὰ φίλῃ.

Quod est:

*In hoc sepulcro magnum lumē patria iacet Et affinis
 Delphius, qui virtute per quā memorabili clarus
 Hoc ob faciliē in omnib⁹ pietatē amici homines sunt.
 Admirati sunt, sed eos moriens dolore affecti.
 Huic parca in tristi senectute invidit funesta,
 Attamen ad caelestes ascendit Deos.
 Quicumque es hospes, qui prope huius praclari viri
 sepulcrum transis.*

Tranquillitatem animae precare multum grata.

Vixit ann. XXXVI. M. XI. D. VII.

Obijt v. I. Kalend. April. M. D. XL.

IOAN. BAPTISTAE AMYCO

Consentino, qui cū omnes omnium libera-
 lium artium disciplinas miro ingenio, solerti in-
 dustria, incredibili studio, Latinè, Graecè at-
 que Hebraicè feliciter percurrisset; ipso adole-
 scentiae, suorumque laborum & vigiliarum cur-
 su penè confecto, à sicario ignoto, literarum, ut
 putatur, virtutisque invidia interfectus est. N.
 F. amico opt. studioso, omnibus, totaque civi-
 tate Patavina moerente, tristis. P. Anno M. D.
 XXXVIII.

Pye

*Premia, quæ referunt alijs, vitamque perennem,
Virtutes; vni huic causa fuere necis.*

GABRIELIS FALLOPII MUTI-
NENSIS.

*FALLOPI, hoc tumulo solus non conderis; vnâ
Est pariter tecum nostra sepulta Domus.*

ANTONIAE FABRICIAE.

*Siste gradum: iacet hic ANTONIA, sanguine
creta*

*Fabricio, terra mortua, viua polo,
Hanc gemit ablatam mundo probitasque decorque,
Atque fides, passus immaculata comis.*

PIERIO VALERIANO.

*Bellunensi, Poetae, Rhetorique amplissimo, cu-
ius pia vmbra non poenitendum hic tumulum for-
tita est. Nam vt optabilis in patria, ita speciosius
Parauij supremi officij decus fato amissum, virtute
recuperauit. Petrus Carrarius, ac Ioannes Baptista
Rosa, Parauini, vnanimis, grato hospiti Pos.*

Pieridas dum PIERIVS sectatur, & Orci

Nil timet insidias, hunc fera mors rapuit.

Ille necem, aeterna ostentant hæ muner a vita,

Hinc medius vita PIERIVS QVE neci.

Absulit hæc annos tristes: at premia laudum

Atque animam hæ seruant, inuida mors moritur.

D. O. M.

*FRANCISCO ROBORELLO Vtinenfi, Rhe-
toricæ artis, moralisque Philosophiæ Professo-
ri clarissimo, qui in florentissimis quibusque Ita-
licæ Gymnasijs magna famæ celebritate triginta*

totos annos publicè docuit. Natio Germanica
præceptori bene merito, in perpetuam grati animi
memoriam vnanimis P. Vixit annos L. menses vi.
dies IX. Obijt xv. Kal. April. M. D. LXXVII.

Consiliario Carolo Frolich à Frolichsberg,
Procuratoribus Georgio Rotmair, &
Hugone Iacobi Roterdamo.

S. D. C.

Non sum Vlysses VENTVRIVS, sed fui, & ero.
Nec Senæ amplius, nec Roma, sed cœlum patria
est. Eques fui D. Pauli, in equitem nunc Christi
commutatus. Quos non conspecturus in terris de-
reliqui mœstissimos, expectabo conspecturus in
cœlis lætissimos. Iure Cæsareo supra ætatem sui
ornatissimus: cupiensque eius scrutari originem
ad naturam accessi, primamque eius impleui le-
gem: Orta moriantur: idque feci: Anno salut. M. D.
LXX. A Etatis verò XXIII.

D. O. M.

Ianua gloriæ virtus est; per hanc ingressus lo.
PAVLVS CONRADVS ætate adolescens
morum integritate & studiorum maturitate se-
nex, citò eam assecutus est. Propterea Talleaco-
tio sui generis patria derelicto, Patavium studio-
rum sibi similitum patriam attingens, in eoque im-
purum, non nisi purum repetiturus, exuens, in
patriam æternæ gloriæ euolauit. Præcox inge-
nium præcocia cuncta sunt subsecuta. Diutur-
norem tamen hanc in terris memoriam fieri M.
Propertius mœstissimus curauit. Sexto Kalend.
Octobr. hora XXIII. satisfecit naturæ M. D.
LXX.

IBIDEM.

ALEXANDRO SIRENAE Fulginati, generis nobilitate, & morum elegantia, ac probitate ornatissimo, aliarumque bonarum artium, ac potissimum Latinae, Haetruscaequae Poeticae peritissimo. Cum quo totius Sirenae familiae, cuius vnicum erat germine, spes omnis extincta est. Baptista Sirena, & Columna Pontana parentes moestiss. turbato, heu, naturae ordine, filio optimo, & dulcissimo P. C. Vixit annos XXV. M. V. D. XXIV. Obijt III. Non. Febr. M. D. LXIV.

Lactantius Brunas, & Io. Bapt. Elmus procurabant.

IN D. AVGVSTINI.

Hac magno domus arcta viro sub marmore paruo,
 Heu! Pater hic patria, spesq; salusq; iacent.
 Quisquis ad hoc saxum conuertis lumina, lector,
 Publica damna legens, iunge preces lacrymis.
 Illum flere nef. is, sua quem super aethera virtus
 Sustulit, humano si qua fides merito.
 Flere grauem patria casum, fractamq; bonorum
 Spem licet, & subitis ingemuisse malis.
 Quem Populo, Patribusq; Ducem Carraria nuper
 Alma dedit Patavio, mors inimica tulit.
 Nullus amicitias coluit dulcedine tanta,
 Cum foret horrendus hostibus ille suis.
 Optimus, inq; bonis semper studiosus amandis,
 Nescius inuidia, conspicuusq; fide.
 Ergo memor IACOBI speciosum credula nomen,
 Nominibus raris inferre, Posteritas.

M. CCC. LX. IX. Decemb.

T f

BLAN-

BLANCAE BORROMEAE.

CANDIDA honor Patavi, immatura morte pre-
Vt rosa vix florens vngue recisa, cadit. (empta,
 Tecum omnis virtus, tecum omnis forma recessit:
 Aeterni meriti te voluere Dei.

Obijt anno M, D, LVIII,

IN DIVAE IVSTINAE.

IOANNI A QVILAE Patri pientiff. dolens
 filij POSS,

Hic cineres; adijt melior pars astra IOANNIS.
Mirum, qui potuit? sed Iovis ales erat.

IN IMAGINEM SCIPIONIS
 ET BENEDICTI.

SCIPIO quid meruit? laurum. BENEDICTVS
 Olympum.

Munus habent dispar; magnus vterq; labor.

IN AEDE SERVORVM MARIAE.

PAVLVS DE CASTRO I. C. disertiff. mari-
 mae autoritatis apud omnes habitus; quod Flo-
 rentia testatur, cuius ius municipale innovavit,
 & in ea coniugatus Petrae vxori, Vicariatus offi-
 cium in spiritualibus Rom. Pontif. decreto exer-
 cuit, vbi etiam in Bononiensi & Patavino Gymna-
 sijs publicè profitendo floruit, aeternamque sibi
 gloriam comparavit, relinquens consiliorum &
 in Iure volumina plurima edita, quae inter manus
 versantur, & ipsius Angelus filius, clarus ingenio,
 amborum Iurium tenens fastigia, XL. annos Pata-
 vij Iura docuit, eoq; Nicolaus Canonicus Padua-
 nus,

mus, qui ab his processit, vtramque & ipse paren-
tum virtutem adeptus, hoc immortalitatis opus
ipsis

Consecrauit anno M. CCCC. XCII.

Paulo de Castro auo, & Angelo patri,
Nicolaus suo ære donauit. 1499.

IN BASILICA D. IOAN-
NIS PRÆCURSORIS IN VI-
ridario.

LAZARI BONAMICI.

*Quantū ager Arpinas Ciceroni, atq; inclyta quantū
Palladis vrbs debet Socratis ingenio:*

Bassani, & Pat aui debent tibi mœnia tantum,

LAZARE, quando illis vnus vtrumq; refers.

LAZARI BONAMICI, Catharinæque vxo-
ris carissimæ in secundum Redemptoris aduen-
tuum quietis sedes. D. H. M. D. M. A. Obijt
M. D. LII. ætat. LXX.

IBIDEM.

LAZARO BONAMICO Bassanensi, in quo
vno totius antiquitatis memoriam, eruditionem,
iudicium, & eloquentium sibi redditam putans
Europa, per annos XX. & I. Patavij admirata est,
Catharina coniunx, & Lucretia Senis animula,
benemerenti posuere. Vixit ann. LXXIII. Obijt
III. Id. Febr. M. D. LII.

HECTORIS PYRGO TELI.

Virtuti aequales annos quia Parca putauit,

Ter apuit iuuenem, dum putat esse Senem.

Pectora

*Pectore seruabas memori, crinitus Apollo,
Ad medicam quicquid contulit vnus opem.
Sed quia temporibus superis neq, subdita virtus,
Hector eris, donec lumina solis erunt.*

IN D. FRANCISCI.

HIERONYMO CAGNOLO Vercellensi, vno
opt. & in Iuris Ciuilibus scientia inter nostræ ætatis
Doctores eminentiss. & propterea Taurini primis
deinde Patanijs, maiori stipendio, quàm quisquam
alius, Ius Ciuile magna cum laude atque omnium
admiratione professo, nob. gen. illust. Ducis Sab-
audia munere Senatorio & Equestri dignitate per-
functo. fil. summa erga talem patrem pietate hoc
mon. pos. Vixit ann. LIX. Obijt Kalen. Februarij
M. D. LI.

D. O. M.

CHRISTOPHORO LONGOLIO Romanæ
ciuitatem propter insignem in studijs literarum
præstantiam adepto, summo ingenio, incredibili
industria, omnibus bonis artibus prædito, supra
iuuentę annos; in qua extinctus est magno cum lita-
liæ dolore, cui ingentem spem sui nominis excita-
uerat.

P. Bembo, amico atque hospiti POS.
*Te iuuenem rapuere Dea fatalia nentes
Stamina, cum scirent moriturum tempore nullo,
LONGOLI, tibi si canos seniumq, dedissent.*

ITEM.

LONGOLIUM infano Ciceronis amore flagrantem
Mercurius nobis abstulit ante diem.

*Scilicet, ille sibi ne lingua auferret honores.
Heu! Diuos etiam liuor acerbè petis?*

D. O. M.

LEONICO THOMAEO Veneto, mitioribus
in litteris, Pangendisq; carminibus, ingenio ama-
bili, Philosophiæ verò in studijs, & Academica Pe-
ripateticaque doctrina præstanti. Nam & Aristote-
licos libros Græco sermone Patavij primus omni-
um docuit publicè, Scholamque illam à Latinis
interpretibus inculcatam, perpoliuit: & Platonis
maiestatè nostris hominibus, iam propè abditam,
restituit: multaq; præterea scripsit, multa interpre-
tatus est, multos claros viros erudijt. Præter virtu-
tem bonasque artes, tota in vita nullius rei appe-
tens. Vixit autem annos LXXV. M.I.D.XVII.

P. Bembo amico incomparabili P. C. adscripto
carmine, quod sibi viuus fecerat.

Νὺν ὄντως ἀδελφὸς καὶ ἀελπις ὑπὸ πλάκι τῆδε
Υἱωνοῦ ἐκοιμήθην πάσιν ὀφειλόμην.

IOANNES LATOMVS.

Precare sacra verba, viator;

Nam THOMAEVS hic sepultus est.

Dulci fruitur memoria

Integritatis illibatae,

Partaq; litterarum gloria.

Funde, puer, dulce merum,

Odoros sparge flosculos,

Spiret vi bustum, madeatq; tellus:

Illaq; sancta, & candida animula

Se totam nostram gratitudine inebriet.

Addemus titulum sepulcro & istum,

Barba

Barbarus ut ne quis violet.

HIC IACET VIR VNVS OMNIVM
DOCTISSIMVS, PISSIMVS.

IBIDEM.

FRANCISCO CVRTIO Ticinensi, solius tem-
poris honesta auaritia extincto. Vixit ann. LXX.
Ius professor Patauij & Ticini.

IN BASILICA EREMITARVM.
DVORVM IUVENVM, GALLI, ET
Poloni.

*Siste, legas iuuenum crudelia fata duorum:
Alter aqua perijt turpiter, alter equo.*

IN COMMVNI GERMANORVM
SEPVLERO.

*Ne plores hic amissos, Germania, natos,
Tempore quemq; suo fata, locusq; manent.
Felices, ne conspiciant incendia mundi,
Ante mori summum qui potuerunt diem.
Cum nutante breui caelum dabit axe ruinam:
Et tandem falsum non sinet esse Deum.*

Anno Domin M. D. LXI.

Consiliario Nicolao Ribeysen, Procura-
toribus Melchiore Haintzel, & Caro-
lo Bambergio.

BEATRICI TURRIANAE

Veronens. vxori incomparabili, VII. natorum
matri, medio æuo part^o difficultate præcepta, Hiero-
nymus Turrianus Veronens. Medicus, viduati-
thori in greore, dolens maritus superstes, P. H. M. H. S.
D. O. M.

D. O. M.

THEODORO MOLLER, nobili Germano, ex
 Gambriiis oriundo. Qui summa ingenij felicita-
 te, doctrinarū orbe ante annos absoluto, cū Iuris-
 prudētiæ sacris initiatus, magna Germaniæ & Gal-
 liæ parte peragrata, excellētis doctrinæ & singu-
 laris iudicij rectitudine, virōs principes in sui a-
 morem & benevolentiam certatim adduxisset; in
 Italiam profectus, dum indefessio conatu studiorū
 metam consequi properat, immatura morte præ-
 ventus, ingenti patriæ, familiæ & amicis sui desi-
 derio relicto, feliciter decedit. IOACHIMVS
 I. C. EBERHARDVS Reip. Gambri. Cos. Heinri-
 cus D. & Ioannes VV. Ampliss. FR S. Germani, de-
 sideratiss. FRI. hoc amoris & pietatis extremum
 officium exoluerunt. Vixit ann. XXIIIX. M. II. D.
 XXIV. Moritur ann. nouiss. temp. M. IO. LXII V.
 Consofrino S. B. merito Eberhard. Tvvestrengh.
 procur. M. IO. LXXV.

IN AEDE CARMELITARVM.

NALDV S ego hic iaceo, monumentum, & gloria
 Non leuis Ausonios inter habenda Duces. (belli,
 Affectus bis centum equites & in omne periculum
 Bisternas peditum ducere Centuria.
 Flamminiam medio furibundi ardore Gradiui
 Ingenio rexi, seruoq; ab hoste manu.
 Anglum dum premerē, ac intus premerentur Iberi,
 Transfixit pectus plumbea massa meum.
 Vixi lustra nouem, genuitq; Fauentia mater:
 Vrbs Patavi sepelit, me gemit Italia.

Anno M. D. XXVIII.

I N

IN S. LEONARDO.

Hac octo iacui iam lustra, vel amplius vrna,
 Laferunt tanta nec mea membra mora.
 At dum, nescio quis, mihi nunc adiungitur alter,
 Saucior, & lacero corpore danna fero.
 Quisquis es, aut vita debebas parcere functo,
 Aut dare, qui medica me modò sanet ope.
 Accidit anno CIO. IO. LXII.

IN S. LVCIAE.

Lucida luce sis lucenti LVCIA luce:
 Mens mea luce scat, LVCIA, mente tua.

IN AEDE S. SOPHIAE.

Insigni probitate iaces fidissima coniux,
 Elisabetha mea maxima pars anima.
 Mors tulit vna duos: te prima parte iuente,
 Et nondum natum morte necat puerum.
 Quid moror infelix? cur non & vestra secutus
 Fata cado, eheu bis virg³, paterq³, miser?
 Bonius extremum vobis hac muner a tristis,
 Et pater & coniux reddit Aloysius.

IBIDEM.

Epitaphium honorarium, auct. Iul. Cæs. Scaligero.
 Hic situs est FRACATORIVS HIERONTI
 MV S: vrna
 Quem capit, hic cepit pectore cuncta suo.
 Sidera digessit, reuocauit funera, rerum
 Naturæ, imperij conscius, atq. Dei.
 Aut Heliconiadum fontem sibi sustulit omnem,

Aut tumulus, vertex hic Heliconis, erit.

Obijt M. D. LIII.

IN TVMBA ANTENORIS.

*Luclytus ANTE NOR, post diruta mœnia Troia,
Transtulit huc Eneam, Dardanidumq; fugas.
Expulit Euganeos, Patavinam condidit urbem,
Quem tegit hic humili marmore casa domus.*

T. LVPATI PADVANI, MILITIS,
IYDICIS, ET POETAE. OBIIT
anno M. CCC. XCIX.

*Id quod es, antè fui; quid sim post fata, requiris?
Quod sum, (quicquid id est) tu quoque lector eris.
Ignea pars cælo, casa pars ossa rupi,
Lectori celsit nomen inane LVPI.*

IN S. MARIAE DE AVANZO.

FRANCISCI CASSANI MEDICI.

*Hic dedit antiqua quod erat mortale parenti,
Cassanus medica maximus artis honor.
In pedemontana tantum decus attulit ora,
Quantum olim Cois ciuibus Hippocrates.
Esse senescenti inferior, sed magnus Apollo
Dum timer, heu cælo maluit esse parem.
Conditur hic corpus, terreno carcere liber
Spiritus astra colit, fama per ora volat.*

Obijt anno M. D. XLI. xx. Octob.

CASSANVS liquit corpus mortale sepulcro,
At laus præstanti non peritura viri est.

V

IN

IN AEDE D. PETRI.

ISABELLAE RAVIGNANAE PVEL-
lae agræstis.

*Euganeas inter præstans virtute puellas
Hic iaceo, indigno condita virgo viro:
Nam cum me peteret lascivum miles ad usum,
Munera posse mori, magna fuere mihi.
Disce, age, sit quanti, virgo, servare pudorem,
Pro quo nil timui perdere corpus aquis.*

MONTERTONAE PROPE
APONVM.

*Tristis eram, longo tenuit me Gallia bello;
Nulla erat in medico spes neq; multa Deo.
Corripuit custos audacter me meus. heustu
Consule te, & mentem volue nefande tuam.
Virgo tuis poterit succurrere maxima votis.
Cur dubitas teneras solvere dure preces?
Filia sponsa patris, mater spes unica nostra,
Oranti, priscam restituet faciem.
Tunc ego singultu & lacrymis pia vota resolui.
Suscepit voces diua Virago meas.
Letus ago ingentes pro tanto munere grates
Virgo tibi, vite sola medela mee.*

IN PALATIO PATAVINO.

SVB VETERI STATVA IN ANTIQVO
lapide.

*Ossa, tuumq; caput ciues tibi, maxime LIVI,
Prompto animo hic omnes composuere tui.
Tu famam æternam Romæ patriq; dedisti,*

Huic oriens, illi fortia facta canens.

*At tibi dat patria hæc: & si maiora liceret,
Hoc totius staret aureus ipse loco.*

TITVS LIVIVS, IV. Imp. Tib. Cæsaris anno
vita excessit, ætatis verò suæ LXXVI.

PRAETOR
IVST.

EQ. PRAET.
OPT.

IBIDEM.

Inclytò ALPHONSO Arragonum regi, studio-
rum fautori, Reip. Venetæ, foederato, Antonio Pa-
normita Poeta, legato suo orante, & Matthæo Vi-
curio, huius vrbis prætore constantissimo inter-
cedente, ex historiarum parentis T. Liuij ossibus,
quæ hoc tumulo cõduntur, Brachium Patavii ciues
in munus concessere, anno Christi millesimo qua-
dringentesimo quinquagesimo primo. XIV. Kal.
Septemb.

IN GLOBO ALICVBI DEPENDENTE.

Maxilla & lingua T. LIVII in hoc globo con-
tinentur.

IBIDEM.

Ossa TITI LIVII Patavini, vnius omnium
mortalium iudicio digni, cuius propè inuicti ca-
lam, inuicti Popul. Roman. res gestæ conscribe-
rent.

SVB NOVA TITI LIVII IMAGINE
HOC ELOGIVM EST.

TITVS LIVIVS Patavinus, historicorum
latini nominis facilè princeps, cuius lacteam e-
loquentiam ætas illa, quæ virtute pariter ac erudi-
tione

V 2

tione

tione florebat, ad eò admirata est, ut multi Romæ non ut urbem rerum pulcherrimam, aut urbis orbis dominum Octavianum; sed ut hunc unum inuiserent, audirentque, à Gadibus profecti sint. Hic res omnes, quas populus Romanus pace belloque gessit, quatuordecim Decadibus, mira styli facilitate complexus, sibi ac patriz gloriam peperit sempiternam.

LIBRO, QVEM IN MANU TENET
LIVIVS, INSCRIPTVM EST.

Paruus ignis, magnum sæpè suscitât incendium.

IBIDEM.

PAVLVS PATAVINVS, Iuriconsultorum clarissimus, huius urbis decus æternum, Alexandri Mammeæ temporibus floruit, ad præturam, præfecturam, consulatumque euectus. Cuiusque sapientiam tanti fecit Iustinianus Imperator, ut cuncta Ciuilis Iuris particula huius legibus non decoretur, qui splendore famæ immortalis, oculis posteritatis admirandus, insigni imagine hac merito decoratur.

IN PRAETORIO PATAVINO,
SVB IMAGINE C. VALE-
RIJ Flacci.

CAIVS VALERIVS FLACCVS, Patavinus, carmine heroico labores Argonautarum decantauit; quod opus fato præuētus imperfectum, inemendatumque reliquit, cum sui magno desiderio illorum temporum studiosis, inò vel testimonio Fabij Quintiliani, conquerentis, nuper in Valerio Flacco

Flacco museum amissum esse. nec tacuit M. Valerius Martialis, Tellurem Aponam non minus gaudere Stella & Flacco, quàm suo Livio. ad quem etiam scribès, alumnum, & spem Iaris Atenorei eum appellat. Floruit sub Vespasiano & Tito, peruenit ad imperium Domitiani; eo genere carminis, ætatis suæ nemini secundus.

IBIDEM.

Q. ASCONIVS PAEDIANVS Patavinus, Orator, in M. T. Ciceronis orationes scriptor egregius, quem Laurentius Valla, Aul. Gellio doctiorem dicere non dubitavit. Plæraque alia scripsit, ex testimonio virorum doctorum, quæ à studiosis linguæ Latinæ desiderantur.

ASINIVS STELLA

Patavinus, columbam in delicijs amicæ Iantidis, elegiaco versu defleuit. quo genere carminis adeo excelluit, ut M. Valerius Martialis, ipsum Val. Catullo anteferre sit ausus, suo Epigrammate affirmans Stellam tanto maiorem Catullo, quàm passerem maior est columba. Papinius etiam Statius iure sodalicijs sibi iunctus, elegantissimo Epithalamio suas cum Violantilla nuptias celebravit, quibus novem Musæ cum Elegia non abfuerunt. Opus Elegiarum, fatorem invidia desideratur. Floruit temporibus Domitiani, nec de ipso aliud comperum haberi potest.

IBIDEM.

PETRVS APONVS Patavinus, Philosophiæ Medicinæque scientissimus, ob idq; Conciliatoris nomen adeptus: astrologiæ verò adeo peritus, ut

in magis suspicionem inciderit, falsoque de heresi
postulatus, absolutus fuerit.

SVPRA FORES PRAETORII.

Dant, BERNARDE, tibi duo munera Teutones: illud

Quod patet, è saxo: quod later, ex animo est.

Mors veniet saxis, animis haud. ergo fatiscat

Hac nota; mens semper grata si perstes erit.

Germanica natio anno M. D. LXXXIV. pos.

Maximum malorum est, si vitam diligis, quia
vita dignum nescit aliquid agere.

IN VICINIA PATAVII.

IN PAGO ARQVATO VISITVR FRAN-
cisci Petrarchæ marmoreum sepulcrum,
cum hac inscriptione.

Frigida FRANCISCI lapis hic regit ossa PE-
TRARCHÆ.

Suscipe virgo parens animam, sate Virgine parce,
Fessaq; iam terris, celi requiescat in arce.

Moritur anno M. CCC. LXXIV.
XIX. Iulij.

Viro insigni FRANCISCO PETRARCHÆ,
Poëtæ Laureato, Franciscolus de Borfano, Medio-
lanensis genere, indiuidua conuersatione, amore,
propinquitate, & successione, mem.

AD TVMVLVM PETRARCHÆ.

Dij tenuem tibi terram, & in vrna perpetuum ver:
Ardoris nostri, magne poëta, iaces.

IANVS LERNVTIVS pos.

IBIDEM.

IBIDEM.

DANTI ALDIGERIO, FRANC. PETRAR-
CHAE, & Ioâni Boccatio, viris ingenio, eloquen-
tiâq; clarissimis, Italicæ linguę parentibus, vt quo-
rum corpora mors & fortuna seiunxerat, nomina
saltem simul collecta permanerent: Ioannes Bfe-
nius Canonicus Cenerensis, huius Basilicę rector,
in sui erga eos amoris observantięque testimoni-
um posuit. M. D. XXIV.

IBIDEM IN ADITV HORTI.

*Impunè hinc Cererem sumas, impunè Lycum,
Intactas habeat dum mea laurus opes.*

INSCRIPTIO FONTIS.

*Fonti nomen inest, hospes venerare liquorem,
Vnde bibens cecinit digna Petrarca Deis.*

IN HORTI MEDICI VE-
stibula.

- I. Portam hanc decumanã ne pulsato ante diem
Marci Euangelistę, nec ante horam x x i i.
- II. Per decumanam ingressus, extra decumanam
ne declinato.
- III. In viridario scapum ne confringito, ne uic
florem decerpito, ne semen fructumue sustolli-
to, radicem ne effodito.
- IV. Stirpem pusillam, succrescentemq; ne attri-
tato: ne uic areolas conculcato.
- V. Viridarij iniuria ne afficiuntor.
- VI. Nihil inuito præfecto attentato.
- VII. Qui secus faxit, ære, carcere, exilio multa-
tor.